DISSERTATIO JURIDICA,

DE

GRAMMATICA MALA,

QUAM,

DEO TER OPT. MAX. ADNUENTE,

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

DOMINO

JACOBO FRIDER. LUDOVICI,

JCTO,

POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO ET PROFESS. JUR. PUBL. ORDINAR.

Ad d. 2. Novembr. MDCCXX.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

C. CHRISTIANUS LEYSSNER,

MAGDEBURGICUS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITTERIS JOH. CHRIST. GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

Recusa MDCCXLIII.

(6)

MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

DOMINIS

REIPUBLICÆ MAGDEBURGICÆ

CONSULIBUS, SYNDICO,

JURIUM CONSULTO FAMIGERATISSIMO, ET RELIQUIS,

QUI AMPLISSIMUM CONSTITUUNT ORDINEM SENATORIUM,

JURIS PERITISSIMIS,

Patronis meis obſervantiſſime colendis,

HAS

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

PERPETUÆ OBSERVANTIÆ GRATISSIMIQUE ANIMI TESTES

IN

DEVOTISSIMÆ MENTIS CRITERIUM

DICAT, DEDICATQUE

C. CHRISTIANUS LEYSSNER, JUR. CULT.



Atriæ memoriam abjicere, PATRES CONSCRIPTI, apud omnes gentes flagitium reputatum fuiſſe in aprico eſt: Idcirco, ne ingratus terram, qua primam aſpexi lucem, teram, jam dudum optavi, ut publicum aliquod ſingularis meæ pie-

pietatis ederem teſtimonium. Illuxit nunc ille dies, quo lubenti animo id jam exſequor, & quas in publicum promulgo ſtudiorum meorum exiguas primitias, has ipſas VOBIS, PATRES PATRIÆ, ſacras eſſe cupio. Permittite igitur, ut dum magna facitis, exigua, quæ profero, VOBIS offeram, ac de inſtituto meo candidos ac accuratos Judices VOS expetam. Accipite ergo, quod Patriæ debeo! Accipite opellum meum benigno ultra modum affectu. Ceterum BENIGNISSIMUM NUMEN ſupplex veneror, ut MAGNIFICORUM CONSULTISSIMORUMQUE CONSULUM, SYNDICI, JURIS PERITISSIMI, & reliquorum SENATORUM, Patronorum

rum meorum ad cineres usque devenerandorum, quos Parthenopolis hac tempeſtate vidit, veſtram vitæ tam ſalutaris PATRIÆ quam mihi incolumitatem ad longiſſimum proroget ævum. Vigeat itaque ORDO SENATORUM AMPLISSIMUS! Floreat CONCILIUM URBIS MAGDEBURGICÆ FAMIGERATISSIMUM! Sis Autor! Sis Fulcrum! Sis Promotor!

VESTRI

obſequentisſimi

C. CHRISTIAN. LEYSSNERI,
JUR. CULT.



DISSERTATIO JURIDICA
DE
GRAMMATICA MALA.

INGRESSUS.



Ommunico tecum, benevole Lector, præſentem diſſertationem de Grammatica eaque mala. Dicent forſan aliqui: quid grammatica mala ad JCtos, remittenda illa eſt ad trivium & ad ludimoderatores, qui in pulvere verſantur & perpetuo Jovis odio vexantur, ut hi vitia emendent & pro re nata graviter in peccantes animadvertant, JCti enim ſuis vocum adluſionibus, dicente Zieglero, grammaticorum rigori non ſunt ſubjiciendi. Sed ſalva res eſt. Aliter judicant Grammatici, aliter JCti. Nos

recenſemus ſaltem vitia nonnulla contra regulas artis admiſſa & disquirimus, utrum illa noceant intuitu juris, quod quis prætendit, annon? de ſimilibus vitiis deinde idem eſt judicium eodem intuitu. In phrontiſterio autem non ſedemus, nec pœnam aliquam ſcholaſticam dictamus, quam forſan ad jurisdictionem ſcholaſticam inferiorem referre poſſis. Relinquimus hæc hypodidaſcalis. Potuiſſemus titulum diſſertationis etiam alio modo, v. g. *de vitio latinitatis, de ſtilo biulco*, &c. formare; ſed magis ſeſe nobis adprobavit terminus grammaticæ malæ; quia latinitas & ſtilus ex regulis grammaticæ dijudicari debet & veteres JCti, Bartolus, ceteri, vitium contra regulas artis grammaticæ admiſſum nomine grammaticæ malæ vulgo inſignire ſolent. Grammatica mala ergo eodem modo dicitur, ut carmen malum, quod juxta regulas artis non eſt compoſitum. Sed ad ipſam rem propero.

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

Grammatiſtica & grammatica inter ſe differunt. Grammatiſtica eſt ars vilis & hinc in jure nullam immunitatem a civilibus muneribus habent, qui pueros primas litteras docent, §. I. grammatiſtica quamvis vilis reputetur, magnum

gnum tamen usum illa habet. Litterarum expertes miseri, etiamsi ad tutelam admittuntur, §. II. grammatica grammatisticæ opposita est ars bene loquendi. Doctores grammatici. Hi immunitatem a muneribus habent & interdum comitivam consequuntur, §. III. Grammatica ad artes liberales refertur. Septem sunt artes. Trivium, quadrivium, §. IV. grammatica sæpe etiam grammatisticam sub se comprehendit. §. V. Quænam grammatica bona, quænam mala? §. VI. regulæ artis grammaticæ ex hominum instituto & tacita conventione populi alicujus originem suam trahunt, §. VII. modus loquendi non dependet a potestate principis absoluta. Exemplum de Cæsare Sigismundo, qui in concilio Constantiensi in regulas artis impingebat, §. IIX. privati non possunt invenire nova vocabula, aut novas regulas construendi, ad eum effectum, ut reliqui inviti ea inventa recipere cogantur. De barbarismis & solœcismis, quales etiam in nonnullis legibus reperiuntur. Exempla huc pertinentia, §. IX. an fœminæ grammaticam discere queant & an tutor eas impensas repetere, vel deducere possit, quas præstitit, ut pupilla artibus liberalibus imbueretur, §. X. Leges obligant, licet contra regulas artis impingant, §. XI. de rescriptis superiorum, in quibus grammaticæ regulæ non adcurate fuerunt observatæ, §. XII. regula juris canonici, falsam latinitatem vitiare rescriptum Papæ. Extensio hujus regulæ ad eum casum quoque, si rescriptum illud non per cancellariam, sed per cameram, ut loquuntur, emanaverit, §. XIII. Tres limitationes Panormitani. Prima, falsam latinitatem non vitiare rescriptum papæ, si stilus aliquo modo defendi potest, aut si ille non satis elegans solum sit, §. XIV. Secunda, si falsa latinitas potest salvari per figuram, §. XV. tertia limitatio, non vitiari

tiari rescriptum papæ propter modicum defectum litteræ, vel tituli, §. XVI. pontificum scripta solœcismis & barbarismis scatent, quam tamen adsertionem ægre fert Gonzalez Tellez, §. XVII. suspicio falsi etiam oritur, si vitium grammaticale enorme in rescriptis principum reperitur, vel in sententiis, secus in vitio leviori, §. XIIX. judex suspectum rescriptum non statim exequi tenetur, sed secundam jussionem expectare potest, optimum tamen est, ut rem ad principem iterum referat, §. XIX. barbaries sequiorum temporum, præcipue intuitu clericorum, qui cum barbarismis & solœcismis Deum invocabant, §. XX. plura huc pertinentia, §. XXI. origo discriminis, quod aliqui orationem dominicam in lingua germanica exordiantur: Vater Unser, *alii:* Unser Vater. *Barbaries & ignorantia in Germania, §. XXII. adhortatio Augustini, ne catechumeni clericos barbaros videant. Alia adhortatio ad clericos directa, §. XXIII. exempla episcoporum propter ignorantiam ab officio remotorum, §. XXIV. adducuntur adhuc duo alia lepida exempla de fratribus ignorantiæ, §. XXV. Rationes dubitandi respectu adsertionis, quod clerici illitterati ab officio sint removendi, §. XXVI. ratio decidendi, §. XXVII. responsio ad rationes dubitandi, §. XXIIX. apud evangelicos quoque ministri ecclesiæ linguis aliisque artibus instructi esse debent, sine quibus officio suo præesse nequeunt. Ignari ergo removendi, §. XXIX. de clerico, qui infantem baptizabat in nomine patria & filia & spiritu sancta. Baptismus validus declaratus fuit, §. XXX. Ratio pro validitate baptismi. Consensus evangelicorum, §. XXXI. quare frater ille ignorantiæ non fuerit a Papa ab officio remotus? §. XXXII. propter malam grammaticam non vitiatur instrumentum, nec privatum, nec a notario confectum, §. XXXIII.* diver-

diversi casus ab invicem distinguuntur, §. XXXIV. *si duo contraria instrumenta super eodem negotio inveniuntur, quorum alterum juxta artis regulas conscriptum, alterum vero barbarismis & solœcismis scatet, illud huic præfertur ceteris paribus*, §. XXXV. *testamenta non vitiantur propter malam grammaticam, si de mente testatoris constat. Casus huc pertinentes*, §. XXXVI. XXXVII. *idem in hac materia est, sive ipse testator, sive alius ejus mandato testamentum conscripserit*, §. XXXIIX. *alius casus hanc materiam illustrans*, §. XXXIX. *si tamen dubium occurrit, de qua re testator locutus sit, in materia de interpretatione ille significatus præferri debet, qui cum regulis artis grammaticæ congruit*, §. XL. *dispositio vitiatur, si testator vocabula mutat, ipsisque novum significatum imponit, quod tamen de nominibus adpellativis solum, non vero de propriis intelligendum*, §. XLI. *dispositio vitiatur, si scriptura plane legi, aut propter plurimos barbarismos sensus ex verbis loquentis erui nequit*, §. XLII.

§. I.



Erardus Johannes Vossius *in tract. de quatuor artibus popularibus* (scilicet grammatistica, gymnastica, musica ac graphica, siue pictoria,) *cap. 2.* nec non *de philologia c. 4.* inter *grammatisticen* & *grammaticen* differentiam notabilem intercedere adserit. Scilicet *grammatistice* ipsi est nuda legendi scribendique scientia. Nuncupant alias eam *litteras elementarias*, sive *prima elementa*, de quibus Horatius *epist. ad Pisones*:

- - - *ni*

- - - ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Ars hæc vilis exiſtimatur vulgo, quam cauſſam eſſe credo, quod in *l. 2. §. 8. de vacat. & excuſ. mun.* habetur: *eos, qui pueros primas litteras docent, immunitatem a civilibus muneribus non habere; ſed ne cui eorum id, quod ſupra vires ſit, imponatur, ad Præſidis religionem pertinere, ſive in civitatibus, ſive in vicis primas litteras magiſtri doceant.* add. *l. 11. §. 4. ff. de muner.*

§. II.

Quamvis vero grammatiſtice, uti dictum, vilis reputetur; recte tamen idem Voſſius ejus uſum tantum eſſe dicit, ut vix ullis laudibus ſatis prædicari poſſit. Præcipua enim ejus utilitas in hoc conſiſtit, quod ſic occurratur hominum oblivioni, cum nemo omnium, quæ videt, vel audit, ſemper valeat meminiſſe. Nec negotia, vel commercia absque ea poſſunt conſiſtere. Maximus quoque uſus eſt in fœderibus & pactis, ad homines in officio continendos. Magnum præterea eſt, quod ſcriptura etiam abſentibus mentem noſtram aperimus. Prodimus poſteris, quæ multo ante ætatem eorum contigerunt, ne puerorum ſimiles, ſui ſolum temporis res ſciant, ac divinam neſciant providentiam in hoc mundo gubernando. Omnis quoque diſciplinarum ordo, ac philoſophia univerſa, quatenus naturæ lumine cognita eſt, ad ventura ſecula propagatur.* Pluribus hæc perſequitur Voſſius *d. cap. 2.* Unde miſeri litterarum expertes. Equidem in *l. 6. §. 19. ff. de excuſ. tut.* dicitur, excuſationem illius intuitu tutelæ accipi non debere, *qui ſe neget litteras ſcire*, ſi modo non ſit expers negotio-

gotiorum; ſed nihil muto. Debet litterarum expers tutelam ſuſcipere, ergo ſuſcipit onus. Rationes per alium conficere debet, quia ipſe litterarum expers, quod valde periculoſum, & ergo miſer eſt.

§. III.

Grammatices nomine intelligitur non vulgaris illa grammatiſtice, de qua dictum, ſed doctior, quæ eſt *bene loquendi* ars, maximorumque virorum ſtudio elaborata & perfecta. Videtur adlatam differentiam quoque innuere Lactantius *de falſa ſapientia l. 3. oper. c. 24. Multis*, inquit, *artibus opus eſt, ut ad philoſophiam posſit accedi. Diſcendæ iſtæ communes litteræ propter uſum legendi, quia in tanta rerum varietate nec diſci audiendo poſſunt omnia, nec memoria contineri.* Hæc ad grammatiſticen pertinent. Jam pergit: *Grammaticis quoque non parum operæ dandum eſt, ut rectam loquendi rationem ſcias. Id multos annos auferat neceſſe eſt.* Hinc *doctores grammatici* originem duxerunt, v. Conring. *de antiquit. academ. ſupplem. 32. p. m. 300.* verb. *uti* (Servatus Lupus) *ab eo* (Rabano Mauro) *ingreſſum caperet divinarum ſcientiarum, jam tum* doctorem grammaticum *ſortitus, a quo artis præcepta acceperat.* Conferri hic etiam poterit Iſidorus *origin. l. 1. c. 5.* De ejusmodi Grammaticis intelligenda eſt *l. 6. C. de Profeſſ. & med.* quod illi una cum uxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione & ab omnibus muneribus vel civilibus, vel publicis immunes eſſe debeant. Majora adhuc habentur in *l. 1. C. de profeſſ. qui in urb. Conſtantinop.* de comitiva grammaticorum, qui per viginti annos docuerunt. Erat autem *comitiva* honor vicinus illuſtribus

ſpectabilesque antecedebat, Calvin. *lex. jurid. voc. comitiva.*

§. IV.

Grammatica ergo ad artes liberales refertur. Septem harum artium quondam enumerabantur, ubi nulla theologiæ, nulla artis medicæ, multo minus ulla aut romani, aut pontificii juris erat profeſſio in academiis, & ubi illa ipſa artium liberalium diſciplina arctis litteraturæ rudioris limitibus circumſepta reperiebatur. *Trivium,* unde ſcholæ triviales, complectebatur grammaticam, rethoricam & dialecticam: *quadrivium* autem arithmeticæ, geometriæ, muſicæ & aſtronomiæ rudimenta, v. Conring. *de antiquitat. academ. diſſ. 3. p. m. 80.* & de trivialibus ſcholis in monaſteriis *ſupplem. 32. p. 299.* adde Iſidorum *in orig. l. 1. c. 2.* & M. Aurel. Caſſiodorum, qui *in operib.* de ſingulis egit. Noti ſunt verſiculi de trivio:

Gramm. *loquitur,* dia. *vera docet,* rhe. *verba colorat:*
& de quadrivio:
Mus. *canit,* ar. *numerat,* geo. *ponderat,* aſt. *colit aſtra.*

§. V.

Vidimus differentiam inter grammatiſticam & grammaticam. Ipſe interim ſupra citatus Voſſius *de philologia c. 4. §. 4.* non diffitetur, quod vocabulum grammaticæ ſæpe etiam grammatiſticam ſub ſe comprehendat, in quem finem ſequentia ex Sexto Empirico adducit: *grammatice dicitur æquivoce communiter, & proprie: ac communiter quidem cognitio quarumcunque litterarum, ſive græcarum, ſive barbararum, quam grammatiſticen ſolemus adpellare. Proprie autem, quæ eſt perfecta atque abſo-*

absoluta labore ac studio Cratetis Mallotæ, Aristophanis & Aristarchi.

§. VI

Grammatistice ad nos principaliter non spectat, sed potius ipsa *grammatica*, ars illa bene loquendi & scribendi. Ergo, si regulæ artis in loquendo & scribendo adcurate observantur, vocatur nobis *grammatica bona*; sin autem in dictas regulas impingitur, *mala* audit. Eodem modo grammaticus bonus est, qui juxta regulas artis loquitur & scribit: malus ex diverso, qui illas regulas ignorat, & sibi quælibet hoc, vel alio modo proferre licere existimat. Interim intuitu grammaticæ bonæ non requirimus, ut quis omnes apices observet nimiamque & miseram diligentiam circa quælibet vocabula adhibeat; sed hoc nobis pro præsentis instituti ratione sufficit, si modo vulgares & consuetæ regulæ observentur. Summum rigorem relinquimus illis grammaticis, qui, dicente Zieglero *de jur. majest. l. 1. c. 1. §. 1.* in phrontisteriis suis (nisi pistrina potius ac carnificinas dicere mauis,) vultuosam quandam majestatem, in majori scilicet statu collocati, non simulant tantum, sed gerunt, &c.

§. VII.

Sicut vocabula ipsa ex mero hominum arbitrio atque instituto dependent, vis enim, determinate hoc, vel illud significandi, non inest a natura, aut intrinseca quadam necessitate: ita quoque ars ipsa & regulæ artis grammaticæ ex eodem instituto & tacita conventione populi alicujus originem trahunt, v. Pufendorff. *de I. N. & G. l. 4. c. 1. §. 1. Consuetudo*, inquit Quintilianus *instit.*

orator. l. 1. c. 6. est certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. Quemadmodum vero valor nummi in rebuspublicis sæpe mutatur: ita quoque loquendi ratio, unde non ad vetera, sed præsentia tempora respiciendum, si vetera vocabula plane obliterata. Ita v. g. rideremus eum, qui hodie eo modo loqui vellet, prout in LL. XII. tabularum habetur. Bene Quintilianus *loc. cit. nam si potest videri, nihil peccare, qui utitur his verbis, quæ summi autores tradiderunt, multum tamen refert, non solum quid dixerint, sed etiam quid persuaserint. Neque enim* tuburcinabundum *&* lurcabundum *jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit autor: nec* hos Lodices, *quamquam id Pollioni placet: nec* gladiola, *atqui Messala dixit: nec* parricidatum, *quod in Cælio vix tolerabile videtur: nec* collos *mihi Caluus persuaserit: quæ nec ipsi jam dicerent. Superest igitur consuetudo: nam fuerit pene ridiculum, malle sermonem, quo locuti sunt homines, quam quo loquantur.* Confer, si placet Erasmi *synodum grammaticorum*, ubi etiam *in notis* Arnoldi Montani lepida inueniuntur de vocibus *Tata* & *Mamma*, quibus infantes parentes nuncupant. Sicut etiam elegans jocus reperitur apud Martialem *l. 1. epigramm. 100.* de vetula Afra:

Mammas atque Tatas habet Afra: sed ipsa Tatarum
Dici & Mammarum maxima Mamma potest.

§. IIX.

Fluit exinde, modum loquendi adcurate dicendo non dependere a potestate principis absoluta, sed principem quoque ad regulas artis grammaticæ sese conformare debere. Aliter senticbat Sigismundus imperator, qui

qui lubrico linguæ contra regulas grammaticæ impingebat. Hiſtoriam diverſimode referunt diverſi ſcriptores. Martinus Cruſius *in annal. Suev. p. 3. l. 6. c. 10. ab init.* ita: Anno 1414. quia tres Papæ adulterini erant, Iohannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. atque Huſſitica doctrina auctoritati pontificiæ plurimum detrahebat: concilium Conſtantiæ cœptum eſt celebrari. Ad quod cum cæſar Sigismundus veniſſet, dixit ad patres: *date operam, ut illa nefandisſima ſchiſma eradicetur.* Tum reſpondit quidam: *Serenisſime Cæſar, ſchisma eſt generis neutrius.* Quis hoc dicit? quærit cæſar. Reſpondet alter: Alexander Gallus. Cæſar rurſus: & quis iſte Alexander? reſponſum eſt: monachus. Retulit Sigismundus: *& nos rex Romanorum ideoque majoris auctoritatis. Nonne inſtituere poſſumus novam Grammaticam.* Iohannes Cuſpinianus *de cæſar. atque imperat. Roman. ſub Sigismundo cæſare* paullo aliter: Fuit autem, inquit, Sigismundus princeps humaniſſimus, proceræ ac inſignis ſtaturæ, pulchra facie, crinibus criſpis, barba prolixa, quam in favorem Hungarorum, quibus olim a longis barbis Longobardorum nomen erat, (quod nos Cuſpiniano relinquimus,) nutrivit: liberalis ac munificus. Cui incredibile pietatis ac religionis augendæ ſtudium fuit. Facetiſſimus & ingenioſiſſimus Princeps. De cujus vita ac facetiis liber hiſtoriarum inſignis & grandis adhuc extat in Alſatia apud D. de Plumeneck, innumeras continens & jucundiſſimas hiſtorias ac facetias, quas egit Sigismundus in juventute cum Argentinenſibus mulieribus, quæ ejus ſemper gaudebant ſocietate, aliisque illuſtribus fœminis, quibus-

cum familiariter & honeste semper convixit. Passim autem id de eo scribitur, cum in concilio Constantiensi lapsu forte linguæ, alioqui disertus ac facundus, multarumque linguarum peritus, *a grammaticæ regulis deerrasset, schismaque fæminino, non neutro genere* (ut grammatici docent) *protulisset*, esse tum a Placentino correptum Cardinale. Cui mox ex tempore dixit: *Placentine, Placentine, si omnibus placeres, minime nobis places, qui minoris nos autoritatis, quam Priscianum Grammaticum, quem offendisse me adseris, existimas.* Maximo omnium, qui aderant, cachinno suscepta est Cæsaris peccati commissi excusatio. Multarum enim linguarum scientia, (ut scripsimus) claruit, & linguam latinam observavit. Ob id doctos homines inprimis fouit, & amplis dignitatibus honestavit: sæpius accusans Germanos principes, qui litteras odissent latinas, add. Lehmannus *in chron. Spirens. l. 7. cap. 79.*

§. IX.

Ex eodem fonte fluit, privatos non posse inuenire nova vocabula, aut novas regulas construendi, ad eum effectum, ut reliqui inviti ea inventa recipere cogantur. Vocantur ejusmodi vocabula *barbara* & vitium, quod fit in singulis verbis, *barbarismus;* si vero vitium in contextu, vel complexu orationis est, *solœcismus* dicitur Quintiliano *l. 1. orator. c. 5.* Multos barbarismos conlegit B. Cellarius *in antibarbaro* suo & in curis posterioribus *de barbarismis & idiotismis sermonis latini,* qui sub barbarismo etiam solœcismum comprehendit. Apud glossatores similesve scriptores barbarismi passim inveniuntur, quo refero *imbreviaturam, matricem,*

bastar-

baſtardellum, *filziam*, pro protocollo notarii, v. Bornit. *de fid. inſtrum. l. 2. c. 24. barattariam* pro crimine repetundarum, Brunnem. *ad l. 1. ff. de L. Jul. repetund. mohatram*, quando quis indigenti certas merces cariori pretio credit, quas ille mox vilius vendere tenetur, quo pecuniam conſequatur, Stryk. *caut. contract. ſect. 2. c. 1. §. 31. ſcartafacciam* pro ſcriptura, quæ conficitur a mercatore ſine ordine memoriæ cauſſa, Röſener *de libr. mercat. c. 11. num. 234. 235.* De decreto contra barbariſmorum ridiculam gentem promulgato lepida adfert Andreas Salernitanus *in bello grammaticali in f.* ubi inter alia dicit, eam gentem omnibus grammaticæ finibus ſubmotam fuiſſe & barbarismos quidem ad ſe profectos ciſalpinas gentes civitatibus ſuis donaſſe, ignorantiæ vero deditos quorundam principum favore protectos, non Italiam modo, ſed urbem etiam ipſam bonarum litterarum parentem & vel invitam tueri perſeverare, &c. in jure Longobardico quoque vocabula barbara frequentia ſunt, ut *guerra*, *aſſalire*, *cucurbitare*, &c. conferendus omnino Carolus du Fresne *in gloſſario ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis*, nec non *epiſtolæ obſcurorum virorum.* Certe apud *Polonos* grammatica mala etiam non infrequens eſt, uti vel ex verſione latina juris feudalis Saxonici adparet, v. g. *c. 2. feudum in pueros non heredat*, *c. 12. §. 5. feudum in poſſeſſione tenere*, *&c.* addatur *jus terreſtre nobilitatis Pruſſiæ* a Daniele Paterſonio editum. Quid dicam de *legendis ſanctorum ſanctarumve per Jacobum de Voragine congeſtis?*

§. X.

Studium grammaticæ ad omnes pertinet. Interim

rim Stephanus Daoyz *in indice & summa omnium, quae continentur tam in textu, quam in glossa voc. grammatica*, dubium mouet: *an foeminae grammaticam addiscere possint?* rationem dubitandi ab eo desumit, quia foeminae non possunt postulare, & quia vulgo dicitur, *infantem nutritum vino & mulierem discentem latine loqui vix peruenire ad bonum finem;* interim pro adfirmatiua decidit & decisionem probat tam ex ipsa *l. 4. ff. ubi pup. educ.* quam ex glossa *ad eand. l.* Refert Julianus hunc casum: Instituerat aliquis heredem filium suum, filiae autem dotis nomine, cum in familia nupsisset, ducenta legauerat, nec quidquam praeterea, filio autem & filiae Sempronium tutorem dederat. Tutor Sempronius a cognatis & propinquis pupillae ad magistratum perductus jussus erat, alimenta pupillae & mercedes, ut liberalibus artibus institueretur, pupillae nomine praeceptoribus dare: pupillus pubes factus puberi jam factae sorori suae ducenta legati caussa soluebat & jam tutelae judicio a tutore ea consequi volebat, quae tutor in alimenta pupillae & mercedes praestiterat; respondet Julianus, tutorem nihil nomine tutelae judicio pupillo, aut substitutis pupilli praestare debere, etsi ille citra magistratuum decretum sororem pupilli sui aluerit & liberalibus artibus instituerit. Addit glossator: *sic forte olim moris, mulieres legere grammaticam:* & paulo post: *quod mulieres discere possint grammaticam, defenditur hac lege.* Sed haec obiter, & grammatica hic pro philologia accipitur, de quo significatu v. Vossium *de philolog c. 4. §. 4.* Haec grammatica bona est.

§.XI.

§. XI.

Sed quid de mala grammatica in ſenſu juris, ſi quis contra regulas artis peccat? primo de *legislatoribus* & *legibus* videamus. Si in legibus præcepta artis obſervantur, eo facilius intelligi poſſunt, quod ad virtutes legum refertur, perſpicuæ enim eſſe debent. Impp. Valentinianus & Martianus in *l. 9. C. de LL. leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut univerſi præſcripto earum manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur*, add. Cornel. Benincaſius *de conſtitut. quæſt. 2. n. 27.* interim licet leges in regulas artis impingant, prout exempla in §. *IX.* vidimus, nihilominus tamen vim obligandi habent, cum ſubditorum non ſit, de qualitate legum diſputare, ſed actiones ſuas legum præcepto conformare.

§. XII.

Intuitu *reſcriptorum* ſpecialia in jure canonico inveniuntur. Textus principalis huc pertinens habetur in *c. 11. X. de reſcript.* quem integrum, prout Gonzalez Tellez eum exhibet, ab initio adponemus. Verba Lucii III. hæc ſunt: Ad audientiam noſtram te ſignificante pervenit, quod H. de S. Stephano ſuper abſolutione ſua litteras tibi (ut prima facie videbatur) apoſtolicas præſentavit, quas quoniam habuiſti ſuſpectas, nec de cancellaria eccleſiæ Romanæ emanaſſe putaſti, ad nos remittere curaviſti, conſulens apoſtolatum noſtrum, (unde devotionem tuam in Domino commendamus,) utrum occaſione ipſarum litterarum præfatum virum habere debeas abſolutum. Nos igitur litteris ipſis diligenter inſpectis taliter tibi duximus reſpondendum,

quod cum eas non credamus de prædecessoris nostri conscientia emanasse, nullam eis fidem te volumus adhibere, *cum etiam manifestum contineant in constructione peccatum.*

§. XIII.

Controversia ergo, ut vides, hæc est: *quid intuitu rescriptorum pontificalium ex neglectu præceptorum artis grammaticæ præsumendum sit?* pontifex in textu adducto ejusmodi rescripta pro falsis habenda esse declarat in verbis: *nullam eis fidem te volumus adhibere*, hac unica ratione subjuncta, *cum manifestum contineant in constructione peccatum.* Hic Panormitanus *ad d. c. 11.* hanc regulam ponit: *falsa latinitas vitiat rescriptum papæ*, casum vero, ad quem adductus textus respicit, hoc stilo, fere barbaro, proponit: quidam erat excommunicatus forte ab ordinario: accessit ad curiam domini papæ & obtinuit literas super sua absolutione: ordinarius, cui præsentatæ fuerunt, invenit in eis in constructione peccatum, dubitavit, utrum fides eis esset adhibenda? consuluit papam super hoc, & ille respondet, quod talibus litteris non est fides adhibenda. Panormitanus & glossa hanc rationem decidendi statuit, *quia rescriptum papæ transit per multas manus*, item *cum magna maturitate decoquitur*, & non sit verosimile, tot officiarios in cancellaria pontificis errorem incorrectum reliquisse. Extendit hanc adsertionem Panormitanus contra dissentientes ad eum quoque casum, *si rescriptum papæ non per cancellariam, sed per cameram*, ut loquitur, *emanaverit*, quia tunc oritur duplex præsumtio contra litteras. Primo, quod non emanaverunt per cancellariam secundum

dum communem ſtilum. Secundo, quod magis præſumitur falſitas, quando litteræ ſunt quaſi clandeſtinæ & continent peccatum in conſtructione. Nam deciſio textus reſpectu nullitatis fundatur ſuper præſumta falſitate. Item iſte textus non fundatur ſuper cancellaria, ſed ſimpliciter loquitur & forte tempore hujus capituli non erat ita ordinata cancellaria, ſicut hodie. Paullo poſt etiam addit Panormitanus, falſitatem citius præſumendam eſſe in litteris gratiæ, quam in litteris de juſtitia.

§. XIV.

Adſertionem adductam tribus modis limitat Panormitanus. Ex prædictis, inquit, habes tres concluſiones. *Prima*, quod falſa latinitas vitiat reſcriptum papæ, dummodo ſit manifeſta, *ſecus, ſi dubitabilis.* Ergo non vitiatur reſcriptum papæ, ſi ſtilus aliquo modo defendi & ſalvari poteſt, aut ſi ſaltem non ſatis proprie, latine, aut eleganter ſcriptum ſit. Et de hoc caſu accipiunt verba Gregorii *ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem in præfat. moralium in fin.* quæ exhibentur in corpore juris canonici in decreto *c. indignum 4. diſt. 38. indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati*, conf. Strauch. *amœnit. jur. canon. eclog. 2. c. 13.* Linckius *ad tit. X. de reſcript.* §. *5.* Stilus curiæ Romanæ etiam multa recepit, quæ minus elegantia, vel dubia eſſe videntur, Linck. *loc. cit.*

§. XV.

Secunda Panormitani limitatio eſt, reſcriptum papale non vitiari propter vitium in conſtructione, *ſi falſa latinitas poteſt ſalvari per figuram.* Caſus, quem

pro explanatione hujus adſerti adfert Panormitanus, ſequens eſt: dicebatur, inquit, in quodam reſcripto apoſtolico, *quod rectores hoſpitalis & aliæ perſonæ*, quæ *degere contingerint (contigerit) in eodem poſſent ſepelire, &c.* quærebatur: utrum reſcriptum vitietur propter illam falſam latinitatem? nam ubi dicit *quæ*, debet dicere *quas*, cum referatur ad illum infinitivum *degere.* Exiſtimat, reſcriptum ſalvari poſſe per figuram Sillepſin. Nam illud verbum *quæ* poteſt eſſe neutrius generis & pluralis numeri & facere relationem ad verbum *perſonæ* & ad verbum *rectores*, ſic erit accuſativi caſus. Item, pergit, præſuppoſito, quod ſimpliciter adſumatur illud verbum *quæ*, ut faciat relationem ad verbum *perſonæ;* tamen cum ſit modicus defectus, non debet vitiare litteras. Ita dictus auctor, qui etiam huc refert *c. 11. X. de fid. inſtrum.* cujus verba hæc ſunt: ex parte chariſſimæ in Chriſto filiæ B. quondam Anglorum Reginæ fuit propoſitum coram nobis, quod cum nobilis Vir W. de Guerchia Nanneten. Redon. & Andeg. diœc. ipſam Caſtro de Segrejo ad eam ratione ſui dotalitii pertinente pro ſuæ voluntatis arbitrio ſpoliarit, & ipſa ſuper hoc contra eum a bonæ memoriæ I. Papa prædeceſſore noſtro, ad nos litteras impetraret, quia pars adverſa poſtulatis a nobis induciis deliberatoriis & obtentis, reſcriptum apoſtolicum, *pro eo, quod in hac dictione*, ſpoliarit, *hæc figura* O, *deerat*, *adſeruit vitioſum;* proponens nihilominus, quod mandatum hujusmodi exſpiraverat, mortuo mandatore, licet jam a nobis tres citationes, vel quatuor emanaſſent: vos tamen admisſis hujusmodi exceptionibus frivolis, in ipſo negotio pro-

procedere distulistis. Nos ergo de discretione vestra non modicum admirantes, cum per præcedentia etiam subsequentia intelligantur, *licet ex scriptoris vitio, vel occupatione prædictum O fuerit omissum*, satis vobis potuit de mandatoris intentione constare.

§. XVI.

Tertia Panormitani limitatio est, falsam latinitatem ex grammatica mala profluentem non vitiare rescriptum papæ, si illa surgit *ex modico defectu litteræ, vel tituli.* Hæc limitatio lucem capit ex modo adducto *c.11. X. de fid. instrum.* unde plura ejus intuitu non addimus, hoc tamen obiter observamus, præsumtionem falsitatis jure canonico exinde quoque oriri, *quando prætensæ litteræ papales contra stilum curiæ impingunt.* Casus huc pertinens habetur in *c. 6. X. de crim. fals.* Apostolica sedes hanc consuetudinem in suis litteris tenet, *ut patriarchas, archiepiscopos & episcopos* fratres: *ceteros autem reges, principes, vel alios cujuscunque ordinis* filios *adpellet.* Et *cum uni tantum personæ litteræ diriguntur, papa ei non loquitur in plurali, ut* vos, *sive* vester, *& his similia in ipsis litteris adponat.* Ergo si v. g. episcopus in litteris ipsi oblatis *filius* vocatur, falsitatem exinde adparere & hinc quemlibet litteras apostolicas *tam in bulla, filo & charta, quam in stilo* intueri debere in *d. c. 6.* dicitur, v. Engel *ad tit. X. de rescript. num. 14.* Linck. *ad eund. tit. §. 5.*

§. XVII.

Interim, quæ hactenus ex jure canonico de præsumtione falsitatis ex artis grammaticæ regulis non observatis oriente adduximus: ea ambitiose tradita existi-

mat Scipio Gentilis *de error. testat. c. 4.* eo motus, *quod pontificum scripta solœcismis & barbarismis pleraque scateant.* Quid hic Gonzalez Tellez *ad c. 11. X. de rescript.* O impia, exclamat, Scipionis verba, qui ita audenter in sacras constitutiones irruis! etsi enim aliquando ex incuria typographi, aut bibliopolæ irrepsit vitium latinitatis, ideone arguendi & increpandi sunt religionis nostræ præsules summi, qui statuerunt, adeo vitium latinitatis alienum esse suis litteris, ut & eas vitiare decreverint. Sed non debuisset irasci Gonzalez Tellez Scipioni Gentili. Ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis nec exclamationibus. Barbarismi apud pontificios nec olim fuerunt infrequentes, prout deinde pluribus videbimus, nec etiam hodie sunt. Ipse Panormitanus non diffitetur, (v. supra §. *XIV.*) quod rescripta papalia interdum non satis proprie, latine, aut eleganter concepta sint, & hinc præsumtionem falsitatis ex vitio contra grammaticam commisso orientem ad eum casum restringit, si vitium in constructione commissum, id est, si tale enorme vitium in rescripto reperitur, propter quod in schola pueri a ludimoderatoribus baculo, aut virga coerceri solent.

§. XIIX.

Principum quoque *rescripta* ob vitium grammaticale vitiari existimat Gonzalez Tellez *d. l. num. 3.* citans Bartolum *in l. Plautius 8. num. 5. ff. de aur. & argent. legat.* Bartolus ipse non fuit ad manus, in repertorio tamen super ipsius prælectiones idem locus citatur & contrarium adseritur, *grammatica mala non vitiat instrumentum, rescriptum principis.* Quidquid sit, si vitium enorme

me eſt illudque vel contra regulas grammaticæ communes, vel contra ſtilum curiæ impingit, v. §. *XIV.* exinde omnino aliquam ſuſpicionem falſi oriri exiſtimo. Secus in vitio leviori. Idem intuitu *ſententiarum* obtinet. De levi vitio contra ſtilum curiæ admiſſo exemplum habet B. Sam. Strykius *in diſp. de ſtilo curiæ c. 6. n. 10.* ſi in modo concipiendi ſententias ſtilus communis eſt, ut in prima perſona judex nomen ſuum exprimat: **Wir Richter und Schöppen erkennen vor recht,** judex autem alio modo pronunciet & in tertia perſona nomen ſuum ponat: **Erkennen die Richter und Schöppen vor recht.** Æque leve vitium eſt, ſi in fine ſententiæ clauſula illa receptisſima a judice omitteretur, **von Rechts wegen.**

§. XIX.

Ex ſæpe dicta præſumtione falſi ex vitio grammaticali profluente hoc ſequitur, non teneri judicem ſtatim reſcriptum exequi, ſed ſine reprehenſione eum ſecundam juſſionem expectare poſſe. Si enim poſtea ſecunda juſſio acceſſerit, conſtabit inde de enixa voluntate principis, ea enim tantum operatur, quantum motus proprius. Idem obtinet, ſi in reſcripto vitium contra ſtilum curiæ deprhenditur, Everhard. *topic. legal. loc. a ſtilo curiæ 105. num. 1.* Gail. *1. obſ. 35. num. 6. ſeq.* Stryk. *cit. diſp. c. 7. n. 9.* Optimum & tutiſſimum eſſe puto, ut judex, vel is, quem cauſſa tangit, rem ſtatim ad principem referat, dubium ſuum intuitu præſumtionis falſi eidem exponat novumque juſſum expectet. Noſtri vocant: **man müſſe noch einmahl anfragen.**

§. XX

§. XX.

Hæc de *reſcriptis*, *legibus* & *ſententiis*. Singularia adhuc de *clericis* & præcipue de *epiſcopis* in jure canonico occurrunt. Lingua latina, qua utebantur, ſequioribus temporibus admodum corrupta erat, vel grammatica mala ubique regnabat. Teſtatur hoc inter alios Auguſtinus, qui ſeculo V. vixit, *de catechizandis rudibus c. 9.* qui locus in decreto quoque adducitur *c. 12. diſt. 38.* Refert Auguſtinus, *veniſſe quosdam de ſcholis uſitatisſimis grammaticorum oratorumque* ea quidem intentione, ut chriſtiani fierent. Riſiſſe eos antiſtites & miniſtros eccleſiæ, qui in docendo (catechiſationem vocant,) in regulas grammatices impingebant. Quid hic Auguſtinus? humilitatem ſuadet & contemtum illiteratorum diſſuadet. Adponemus verba textus. Monendi, inquit, ſunt ſcholaſtici, (id eſt, ii, qui de ſcholis uſitatiſſimis grammaticorum venerant,) ut humilitate induti chriſtiana diſcant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius devitare, & cordi caſto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre conſueverant. His etiam maxime utile eſt noſſe, ita eſſe præponendas verbis ſententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quam diſertiores audire ſermones; ſicut malle debent prudentiores, quam formoſiores habere amicos. Noverint etiam, non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi adfectum. Ita enim non irridebunt, *ſi aliquos antiſtites & miniſtros eccleſiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis & ſolœcismis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligere, perturbateque*

diſtin-

distinguere: non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat Amen; sed quia pie toleranda sunt ab eis, qui didicerunt, ut sono in foro, sic voto in ecclesia benedici. Itaque forensis illa, nonnunquam forte *bona dictio*, nunquam tamen *benedictio* dici potest.

§. XXI.

De ejusmodi fratribus ignorantiæ multa etiam apud alios inveniuntur. Ita Conringius *de antiquit. academ. supplem. 42.* (ubi de ultimis temporibus seculi noni loquitur,) *formulam inquisitionis*, quæ extat sub initium operis Reginonis *de disciplina ecclesiastica*, adducit, *secundum quam episcopus inquirere debeat per vicos, pagos atque parœcias suæ diœceseos.* Inter alia ibi circa presbyteros jubetur inquiri §. *83. si epistolam & evangelium bene legere possit, atque saltim ad litteram ejus sensum manifestare* §. *85. si sermonem Athanasii episcopi de fide S. Trinitatis*, cujus initium est, *quicunque vult salvus esse, memoriter teneat & sensum illius intelligat & verbis communibus enunciare sciat.* §. *88. ordinem quoque reconciliandi atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes, si bene scit legere, aut memoriter enunciare.* Notat Baluzius, quendam Gislemarum regnante Carolo Calvo, cum electus esset in Remensem archiepiscopum, *oblatum textum evangeliorum aliquatenus quidem legere, nihil tamen ejus intelligere potuisse.* Refert porro Conringius ex Luitprandi *histor. l. 6. c. 10.* Iohannis XII. Papæ epistolam vitio malæ grammaticæ maxime laborantem. *Iohannes episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis,* (in concilio tunc ab Ottone M. decimo seculo Romæ

congregatis) *Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium papam facere. Si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam, ullum ordinare & missam celebrare.* Ad hæc tempora barbara referendi etiam sunt versus noti de M. Christophoro: *O magnum Christophorum &c.* & legenda de exorcista quodam prætenso, qui hoc modo exorcisabat dæmonem: *egredere male spirite,* cui dæmon exorcistam ridens respondebat: *nolvo,* &c. conferri hic etiam poterit Henr. Vagedes, Prof. Rintelensis, *in oper. acad. diss. select. 2. de propagatione linguæ Romanæ, profanæ, sacræque dominationis arcano,* ubi in specie §. *IV.* ostendit, priscum Germanorum sermonem horrido illo tempore, quo christiana religio in Germaniam introducebatur, adeo difficilem visum fuisse, ut illum nec scribi posse, nec litteris exprimi omnes judicarint. Exempla in hunc finem duo adducit de *symbolo apostolico* & *oratione dominica.* Nos saltem binas lineas adponemus. Art. I. symboli apostolici: **Kilaubu in Kot Fader Almahticun Kiscaf Himmels enti Erdu.** Initium orationis dominicæ: **Vatter unseer thu pist in Himile, wihe Namun dinan,** &c.

§. XXII.

Idem Vagedes *in decad. quæst. philosoph. historicarum quæst. 3.* ostendit, quænam sit origo hujus discriminis, quod alii orationem dominicam a **Vater Unser,** alii ab **Unser Vater** exordiantur. Scilicet, rudioribus adhuc seculis apud Germanos oratio dominica e lingua latina in germanicam ita ad amussim transferebatur, ut ubi in latino vox *adjectiva* postponitur, idem tenor situsque in germanico retineretur. Ita: *Pater*

noster

noster vertebatur: Vater Unseer. *Sanctificetur nomen tuum*, wihi Namun dinan: *adveniat regnum tuum*, queme Rihe din: *fiat voluntas tua, sicut in cælo, sic & in terra*, werde wille din, so in Himile sosa in Erdu, &c. Ex hoc etiam factum, ut apud omnes hæc oratio nomen Vadrunser obtinuerit. In bibliis Wittenbergensibus aliisque, ad minimum recentioribus, grammatica bona reperitur, initium enim orationis dominicæ est: Unser Vater. Quid ad nos tempora horrida, quæ præterierunt?

§. XXIII.

Jam interum in viam. Augustinus supra §. *XX.* adductus hortabatur, ne *catechumeni* ministros ecclesiæ rideant, *qui cum barbarismis & solæcismis*, ut loquitur, *Deum invocant*. Sed hæc est admonitio saltem, non autem decisio intuitu quæstionum juridicarum. Idem sentiendum de admonitione *ad clericos directa*, quæ habetur in *c. 10. dist. 37. Si quis*, inquit Hieronymus, *artem grammaticam, noverit, vel dialecticam, ut rationem recte loquendi habeat & inter falsa & vera judicet, non improbamus. Geometria quoque & arithmetica & musica habent in sua scientia veritatem: sed non est scientia illa scientia pietatis, &c.* Verum aliter sentiunt doctores, aliter vero judices, quando quæstio pro tribunali deciditur.

§. XXIV.

Juris expediti est, eum, qui officio aliquo fungi vult, omnibus illis qualitatibus præditum esse debere, sine quibus officio cum fructu præesse nequit. Alexander III. *in c. 4. X. de ætat. & qualit. & ordin. præficiend.*

end. arctius inhibemus, ne personas, quæ in ecclesiis tui episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituas, nec aliqua occasione, vel etiam litterarum nostrarum obtentu institui patiaris, quæ scientia, moribus & ætate concilii non congruant institutis. Pertinet huc *c.14. X. eod.* in specie autem quod in *c.f. eod.* habetur & quod nostræ intentioni maxime inservit: quamvis multa proposita fuerint contra episcopum Calinensem, quia tamen confessus est coram nobis, *se nunquam de grammatica didicisse, nec etiam legisse Donatum & per evidentiam facti usque adeo de illiteratura & insufficientia sua constat,* quod contra Deum esset & canonicas sanctiones, tantum in episcopo tolerare defectum, ipsum a pontificalis officii executione & ab administratione Calinensis ecclesiæ penitus duximus amovendum. Ergo, si quis illis qualitatibus præditus non est, sine quibus officio suo cum fructu præesse nequit, & nihilominus tamen ad illud officium admotus fuit: is ab officio iterum removeri debet. In sexta collectione hoc capitulum directum est ad capitulum *Bremense;* verum Gonzalez Tellez *ad d. c.* ostendit, illud ad archiepiscopum Mediolanensem directum fuisse. Gregorius VII. quoque *l. 9. epist. 2. ad Alphonsum VI. Regem Hispaniæ* Sancium, Regis propinquum, licet aliis claris donis insignem ob grammaticæ defectum ab archiepiscopatu Toletano repulit, ut refert ex alio quodam Strauch. *amœnit. jur. canon. eclog. 2. c. 13. in fin.*

§. XXV.

Non possum non, quin adhuc duo lepida exempla de inscitia & extrema ignorantia clericorum hic subiungam. Clericus quidam iussus est, hæc verba abbreviata

lege-

legere: Otto Dei grâ (gratia) rogat vestram Cla, (clementiam) ut velitis hunc Clic̃m (clericum) conducere in Vr̃m Diac̃m, (vestrum diaconum.) Legit vero ille:

Otto Dei gram, rogat vestram clam, ut velitis hunc clincumclancum convertere in vivum diabolum.

Sic & cum olim nobilis adolescens sacris initiatus Bambergæ in collegium canonicorum adsciſceretur, feria prima paschatos epistolam canere, & industriæ suæ specimen aliquod edere jussus est. Verum ille, qui non satis peritus erat linguæ latinæ, cum ad hæc usque verba progressus esset: *sicut & vos estis azymi, 1 Cor. 5. v. 7.* nonnihil hæsitans, tandem magna voce oculis in collegas defixis, decantare cœpit: *sicut & vos estis asini.* Canonici, qui assidebant, sibi fortasse male conscii in ruborem omnes dabantur. Tum vero prudentiores & doctiores: profecto, ajebant, id quod reipsa sumus, hactenus nobis in faciem nemo hominum dicere ausus fuit. Hic adolescens verum dixit, verum cecinit, quem, iniquum fuerit, si æquis auribus & animis audire non velimus. Plura ejusdem farinæ etiam de ipsis pontificibus refert Finckelth. *de jur. patron. c. 6. num. 67.*

§. XXVI.

Plurimos textus juris canonici adsertionem in §. *XXIV.* de removendis ab officio clericis illiteratis confirmantes conglomeravit Gonzalez Tellez *in comm. ad d. c. f. X. de ætat. & qualit. & ord. præfic.* Subjungit quoque idem autor rationes dubitandi & decidendi. Rationes *dubitandi* præcipuæ hæ sunt, *quod in prælatis ecclesiasticis potius charitas, quam scientia adtendi debeat*, quia illa ædifi-

cat, hæc autem inflat: *quia episcopi non egent ea litteratura, ut evangelia populis exponant*, *c. 12. dist. 38.* quo pertinet in specie *c. 5. dist. 86.* ubi Gregorius Desiderio episcopo: post hoc pervenit ad nos, (quod sine verecundia memorare non possumus,) *fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere*, quod Gregorius improbat ex eo fundamento juxta regulam grammaticæ suæ, bonæ, an malæ? *quia in uno se ore cum laudibus Jovis Christi laudes non capiunt.* Adhuc aliam rationem dubitandi subjungit noster auctor, *quia si dejicerentur*, (ab officio) *maxime ob defectum scientiæ, sunt irregulares*, & hinc promoveri ad ordines, aut ad beneficia eligi non possunt: *sed illiterati ob defectum scientiæ nullam contrahunt irregularitatem*, in quem finem citat Marquinum, Hugolinum, Majolum, Gibalinum, ceteros, igitur, concludit, semel promoti dejici non debent. Accedere, dicit, *sacros canones circa illitteratos promotos statuere, ut a superioribus erudiantur & doceantur*, non tamen, ut dejiciantur, seu deponantur, v. *concil. Toletan.* §. *can. 8.*

§. XXVII.

Rationem *decidendi* eandem habet, quam nos supra §. *XXIV.* adduximus, quia committere munus homini, qui peritia ad illud obeundum necessaria destituitur, perinde est, ac velle munus inutiliter, vel etiam cum damno exequi, ut argumento ducto a nauclero, seu nauis duce, probat Prosper. *l. 1. de vit. contemplat. c. 16.* Immo, nec ipsum pontificem de prorsus illitterato ad beneficium admittendo dispensare posse existimat, quia si cœcus cœcum ducit, ambo in foveam cadunt, *can. 5. dist. 38.* Prout vero sunt distincti gradus in ministris ecclesiasticis: ita

non

non una menſura ſcientiæ in omnibus deſideratur. Sufficiens ergo eſt ſcientia, quæ ſufficit iis explendis, quæ neceſſario incumbunt cujusque officio & miniſterio.

§. XXIIX.

Ad *rationes dubitandi* ita *reſpondet num. 6.* verum quidem eſſe, quod charitas ſit adtendenda in prælatis eccleſiaſticis, non tamen ideo negligendam eſſe litterarum ſcientiam, licet enim aliqua poſſit ſupplere charitas, non tamen omnia, quæ ſcientia præſtat. Unde modica ſcientia juncta cum magna charitate præſtat rectum prælatum, non autem charitas ſola, *c.1.X. de renunciat.* In *c. ſi quis 10. diſt. 37.* non damnari artem grammaticam, ſed potius dici: *ſi quis artem grammaticam noverit, vel dialecticam, ut rationem recte loquendi habeat, & inter falſa & vera judicet, non improbamus.* In *can. 5. diſt. 86.* Deſiderium epiſcopum ideo reprehendi, quia cum deberet populo ſacram ſcripturam exponere, tantum grammaticam exponebat, addictus mere illius locutioni, & non ſenſibus ſacræ ſcripturæ in *c. 8. diſt. 37.* & alibi etiam lectionem ſcriptorum profanorum permitti, ergo, ne maneat antinomia, adſerendum eſſe, prælatis & perſonis eccleſiaſticis gentilium liberis uti licere, ut, quæ utilia ab ipſis inventa ſunt, expoſitioni ſacræ ſcripturæ deſerviant; quæ autem aut turpia, aut obſcœna dicta ſunt, rejiciant refellantque. Legimus enim aliqua, ne negligantur; legimus, non ut teneamus, ſed ut repudiemus, & ſic dum temperata eorum librorum lectione utimur, ſacris canonibus non damnamur, v. Duarenus *de ſacr. eccleſ. miniſt. l. 4. c. 2.* Circa inſcitiam litterarum in præſenti materia intuitu irregularitatis diſtinguendum

eſſe.

esse. Illam ignorantiam, quæ omnino impedit exercitium ordinis, impedire ordinandos & irregularitatem inducere, ut si is, qui in lectorem, aut diaconum ordinandus est, nesciat legere: qui in exorcistam, exorcismos recitare nequeat. Eam vero ignorantiam non inducere irregularitatem, quæ tantum impedit, ne recte obeantur munera sacra adposita scientia, quam sacri canones præscribunt, & de hoc casu accipi debere *d. c. fin. & penult. X. de art. & qualit. & ord.* de priori autem *can. 1. dist. 36.* & *c. fin. de temp. ordin. in 6.*

§. XXIX.

Apud nos eodem modo se res habet, quod nempe verbi divini ministri illis artibus instructi esse debeant, sine quibus officio suo præesse nequeunt, & quod ignari & illitterati de facto ad officium aliquod promoti iterum removendi sint. **Magdeb. Kirchen-Ordn.** *c. 14. §. 3.* ibi: **zu Ersetzung der erledigten Pfarre einen gottesfürchtigen und gelehrten Mann der eingepfarreten Gemeinde und dem Landes-Fürsten, als** episcopo, **oder dessen Regierung und** Consistorio **zu** præsentiren. **Braunschw. Kirch. Ordn.** *c. 2. §. 2.* ibi: **so soll solchem** Candidato **eine gewisse Zeit zu Einbringung glaubwürdiger Zeugnisse von seinem Herkommen,** erudition, **Leben und Wandel angesetzet werden,** conf. pluribus Finckelth. *de jur. patron. c. 6. num. 67.* & de usu veræ grammaticæ in articulo de justificatione v. Chemnit. *in loc. theolog. loc. de justificat. c. 3.*

§. XXX.

Prodeat adhuc aliud exemplum malæ grammaticæ & simul novum specimen ignorantiæ clericorum barba-

barorum cum adplicatione juridica. Zacharias Papa Bonifacio, apud Germanos legato, rescribit: retulerunt nuntii tui, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens latini eloquii, infringens linguam, diceret: *baptizo te in nomine patria, & filia & spiritu sancta.* Quærebatur: *utrum hoc modo baptizatus iterum rebaptizari debeat?* Bonifacius (qui tamen ejusdem generis grammatica alias fere utebatur, v. Conring. *de antiquit. acad. supplem. 35. §. & vero etiam p. m. 306. ab init.*) illum rebaptizare volebat, sed Zacharias contrarium rescribit. Ita enim ille porro: *sed sanctissime frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.* Franciscus Sylvius *in addit. ad Caranzæ summam conciliorum post concil. Toletan. 13. p. m. 509.* sequentia adhuc addit: *quia quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine patris & filii & spiritus sancti, (ut tua fraternitas bene compertum habet,) nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgari .Vale frater.*

§. XXXI.

Subsistebat ergo baptismus, quia forma essentialis ejusdem aderat, scilicet *actus lotionis* & ex intentione baptizantis *invocatio SS. Trinitatis*, illa intentio enim hic eodem modo reperitur, ut in illis intuitu laudis divinæ, de quibus supra §. *XX.* dicebatur, quod cum barbarismis & solœcismis Deum laudaverint. Consentiunt nostrates, v. Ioach. Hildebrandi *ritual. baptismi veteris p. m. 42. ed. a. 1699.* Kōnig. *de cas. consc. cas. 4. p. 245.* quem citat & sequi-

ſequitur Hornius, JCt. Wittebergenſis, *in addit. ad Schilter. inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 2.* §. *16.* adde ipſum Schilterum *in d. inſtit. l. 2. tit. 2.* §. *13. & 16.* & illuſtrationis gratia, quæ mox ſequentur.

§. XXXII.

Quæritur enim: *quare frater ille ignorantiæ non fuerit remotus ab officio?* quod ſupra §. *XXIV.* in ſimili caſu factum fuiſſe vidimus. Reſponderi poteſt, in adducto textu non tractari quæſtionem, an presbyter illitteratus ab officio removeri debeat, ſed ſolummodo, utrum baptismus ab eo conlatus ſit iterandus. Deinde, addit Gonzalez, inſcitia presbyterorum in Germania tolerabatur propter nimiam inſcitiam & litterarum ignorantiam, quæ in illis partibus (ſeculo IIX.) invaluerat. Unde cum evangelium noviter prædicaretur a S. Bonifacio in ea provincia litteris inculta, ideo non dejicitur presbyter ignarus, ut docet Petrus Gregorius *in c. ad audientiam. de reſcript. num. 6.* Adde ex Franciſco Sylvio §. *XXX.* ſupra citato, *p. 504.* quod Zacharias Papa fuerit vir mitiſſimus & ſuavis, amator cleri & totius populi Romani, tardus ad iraſcendum & velox ad miſerendum.

§. XXXIII.

Tranſimus nunc ad materiam *contractuum* & *teſtamentorum.* In *l. 8. ff. de ſtat. hom.* Papinianus dicit, imperatorem Titum (vel rectius: Divum, juxta Mornacium) Antoninum reſcripſiſſe, *non lædi ſtatum liberorum ob tenorem inſtrumenti male concepti.* Hac occaſione Bartolus *ad d. l.* quæſtionem format: *an propter malam grammaticam vitietur inſtrumentum?* Gloſſa hunc caſum

pro-

proponit: ſcribi debebat *Lucius liber*, ſed ſcribens deliquit in grammatica & ſcripſit *Lucius ſervus.* Vel dixit quis *Titius*, cum *Lucius* dicere debuit. Hoc non præjudicat veritati. Idem eſt, ſi vitium contra regulas artis in conſtructione commiſſum, gloſſa & Bartolus *loc. cit.* Extendunt adſertionem ad eum quoque caſum, ſi notarius inſtrumentum confecit & juxta regulas non eſt locutus.

§. XXXIV.

Nobis circa hanc quæſtionem diſtincte procedendum eſſe videtur. Si adverſa pars rem ita ſe habere, prout in inſtrumento ſcriptum eſt, negare non poteſt, ſed ſolummodo ſub hoc prætextu litem protraherc vult, quod inſtrumentum vitio malæ grammaticæ laboret: res evidens eſt, quod, ſtilo Bartoli, inſtrumentum propter malam grammaticam non vitietur. Sed quid, *ſi adverſa pars inſtrumento propter dictum vitium exceptionem falſi inſtrumenti opponat?* ſubdiſtinguendum eſſe cenſeo. Aut adverſa pars *ad juratam diffesſionem ſeſe offert*, aut *non offert. Poſteriori* caſu procedunt ea, quæ *in* §. *præc.* ex gloſſa & Bartolo adduximus, propter malam grammaticam non vitiari inſtrumentum. Nam non ſolum in pagis, ſed non raro etiam in urbibus multi homines reperiuntur, qui ne quidem grammatiſticen intelligunt & nihilominus tamen vel proprio, vel aliorum nomine formulas contractuum conſcribere audent, quo etiam nonnullos ſic dictos ludimoderatores referre potes, qui pueros primas litteras docere volunt, v. ſupra §. *I.* interim ſi res vere ita geſta, prout barbare, licet in ſcripturam redacta: imputet ſibi ille, qui inſtrumentum ab ejusmodi

homine imperito confici curavit. Nec mala grammatica obest veritati. Casu *priori*, si pars adversa, instrumentum prætensum mediante jurejurando diffitetur: nihil illud probat, quod etiam tunc obtinet, si omnia juxta regulas artis adcuratissime scripta. Permissum tamen in processu ordinario est illi, qui ejusmodi instrumentum producit, ut, si adversam partem ad juratam diffessionem admittere non vult, per testes contrarium probet, de qua materia v. Berlich. *p. 1. concl. 44. n. 48. seq.* Carpzov. *proc. tit. 14. art. 3. n. 67. seqq.* Stryk. *introd. ad prax. c. 19.* §. *10.*

§. XXXV.

Tangenda hic quoque est illa quæstio: *quodnam scilicet instrumentum alteri præferendum, si duo contraria inveniuntur, quorum alterum juxta regulas artis conscriptum, alterum vero barbarismis & solœcismis scatet?* exponemus responsionem verbis Antonii Fabri *in Cod. l. 4. tit. 16. def. 3.* sed si hac parte contrariæ sint scripturæ, aut una plenior altera, ei omnimodo stabimus, quæ minus suspecta est, ab eo nimirum confecta, cujus nihil intersit. Longe siquidem dignior est, cui credatur, is, quam cujus interest. Itemque *ceteris paribus* is, *qui latine loquitur, quam qui barbare, aut qui solœcisat*, conf. Joh. Petr. de Ferrariis *in pract. sub rubr. forma opponendi contra instrumentum* verb. *tum quia in eo adparet erratum in dictis & grammatica.* Quod dicit Antonius Faber: *ceteris paribus;* hoc ita intelligendum, si uterque scribens est integræ vitæ & fidei. Si ergo is, qui latine scribit, est homo subleſtæ, is vero, qui barbare, aut qui solœcisat, bonæ fidei: huic certe major, quam illi, fides adhibebitur.

bitur. Sed dicebatur tamen in §. *XXXIII.* propter malam grammaticam juxta gloſſam & Bartolum non vitiari inſtrumentum; reſpondemus hanc adſertionem limitatam fuiſſe §. *XXXIV.* deinde hic eſt caſus ſpecialis, quia ſuper eodem negotio duo diverſa inſtrumenta confecta ſunt, quorum unum vitio malæ grammaticæ laborat. Et puto hoc caſu adverſam partem, quæ fundamentum intentionis ex inſtrumento vitioſo deſumere vult, ad diffeſſionem alterius inſtrumenti, quod latine, vel juxta regulas artis conceptum, non eſſe admittendam, præſumtio falſi enim contra eam militat.

§. XXXVI.

Pergimus ad *teſtamenta.* Hic DD. iterum ſtatuunt, teſtamentum non vitiari ex defectu unius litteræ, vel ſyllabæ, modo alias de mente teſtatoris conſtet, Gonzalez *ad c. 11. X. de fid. inſtrum. n. 2. verb. non obſtante.* Caſus hanc materiam illuſtrans habetur in *l. 7. C. de teſtam.* Scripſerat teſtator: *Lucius eſto*, ſed omiſerat vocabulum *heres.* Vel ex diverſo, ſcripſerat: *Lucius heres*, ſed omiſerat verbum *eſto*, quærebatur: an teſtamentum nihilominus ſubſiſtat & quoad heredis inſtitutionem & per conſequens quoad legatorum præſtationem? decidunt Impp. Diocletianus & Maximianus, illud omnino ſubſiſtere. Verba legis hæc ſunt: *errore ſcribentis teſtamentum juris ſolemnitas mutilari neutiquam poteſt, quando minus ſcriptum, plus nuncupatum videtur: & ideo recte teſtamento con-*

§. XXXVII.

Idem caſus & eadem deciſio reperitur in *l. 1. §. 5. 6. 7. ff. de hered. inſtit.* ubi ita Ulpianus: *ſi autem ſic ſcribat*, Lucius heres, *licet non adjecerit* eſto, *credimus plus nuncupatum, minus ſcriptum: & ſi ita*, Lucius eſto, *tantundem dicimus: ergo & ſi ita*, Lucius *ſolummodo. Marcellus non inſubtiliter, non putat, hodie hoc procedere. Divus autem Pius, cum quidam portiones inter heredes diſtribuiſſet ita,* ille ex parte tota, ille ex tota, *nec adjeciſſet*, heres eſto, *reſcripſit, valere inſtitutionem: quod & Julianus ſcripſit. Idem divus Pius reſcripſit*, illa uxor mea eſto, *inſtitutionem valere, licet deeſſet* heres. *Idem Iulianum*, illum heredem eſſe, *non putavit valere, quoniam deeſt aliquid: ſed & ipſa valebit, ſubaudito*, jubeo. Aliud, ſi ſcripſerit teſtator: *heres eſto*, & nomen heredis omiſerit, *l. 4. ff. de reb. dub.*

§. XXXIIX.

Supponitur quidem, præcipue in *cit. l. 7. C. de teſtam.* quod non ipſe teſtator, ſed alius ejus nomine teſtamentum ſcripſerit: verum enimvero idem ſtatuendum eſſe exiſtimo & in eo caſu, licet ipſe teſtator teſtamentum in ſcripturam redegerit, aliquid vero omiſerit, quod tamen ad plenum & perfectum ſenſum heredis inſtitutionis neceſſarium erat. Scilicet DD. hanc rationem deciſionis adferunt: ſufficere, modo certum ſit, de quo ſenſerit teſtator: ſubjectam materiam hoc indicare: ex antecedentibus & ſubſequentibus adparere, voluiſſe teſtatorem eis verbis heredem inſtituere & ergo, quia hoc adparet, ex una, vel altera voce, licet ſermo ſit ellipticus, heredis inſtitutionem colligere licere, Brunnem.

nem. *ad d. l. 7. de teſtam.* At vero hæc ratio ad alterum quoque caſum eodem modo adplicari poteſt, ſi teſtator ipſe teſtamentum conſcripſit. Conſentit Perez *ad C. d. tit. num. 3. in f.* ibi: *ſive alius ſcripſerit teſtamentum, ſive teſtator ipſe, cum feſtinando non ſit mirum, omitti aliquid.*

§. XXXIX.

Alius caſus habetur in *l. 54. ff. de manumiſſ. teſtam.* Habebat aliquis ſervum *Cratiſtum*, ſed ſcribens teſtamentum ita cavit; ſervus meus *Cratinus* liber eſto, quærebatur: an ſervus *Cratiſtus* ad libertatem pervenire poſſit? cum teſtator ſervum Cratinum non habebat, ſed hunc ſolum Cratiſtum. Deciditur a Scævola, *nihil obeſſe, quod* (teſtator) *in ſyllaba erraſſet.* Ratio *in §. præc.* adducta hic iterum adplicari poteſt Vincentius Fuſarius in materia de fideicommiſſis *tr. de ſubſtit. fideic. qu. 285.* præſentem noſtram materiam quoque tangit, ita enim format dictam quæſtionem: *falſa grammatica, vel latinitas, an noceat in fideicommisſis?* Subjungit hanc brevem reſponſionem: non nocere ſcribunt in ſpecie Alciat. *in l. ſi quis in fundi vocabulo 4. n. 3. ff. de legat. 1.* Pariſ. *l. 3. conſ. 69. n. 8.* Peregr. *l. 5. conſ. 65. num. 3.* Mantica *de conject. ult. volunt. l. 8. tit. 1. num. 22.* Gallus *de except. ſucceſſ. tit. 4. except. 23. n. 53. part. 2.* quæ repetit B. Strykius *in tract. de caut. teſtam. c. 17. membr. 1. §. 34.* & ſimul hunc caſum ſubjungit: Scripſerat aliquis: Mein Sohn Pamphilus ſoll haben 1000. Rthlr. titulo jureque *reſtitutionis*, ubi ſcribere debuerat *inſtitutionis.* Suſtinebatur teſtamentum ex ratio-

§. XL.

Mala grammatica ergo non vitiat teſtamentarias diſpoſitiones. Illud interim certum eſt, quin eo caſu, ſi dubium eſt, *de qua re teſtator locutus ſit*, in materia de interpretatione ille ſignificatus præferendus ſit, qui cum regulis artis grammaticæ congruit. Pertinet huc caſus, qui habetur in *l. Plautius 8. ff. de aur. argent. mund.* mulier quædam ita legaverat: quisquis mihi heres erit, Titiæ *veſtem meam*, mundum, ornamentaque *muliebria* damnas eſto dare; quærebatur: *an omnis veſtis, an vero muliebris ſolum legata ſit?* deciditur, omnem veſtem legatam eſſe, ita enim verba legis ſonant: Caſſius ait, ſi non adpareret, quid ſenſiſſet, (id eſt, ſi non adſint aliæ probationes, quod teſtatrix ſolam veſtem muliebrem legare voluerit) omnem veſtem ſecundum verba teſtamenti legatam videri. Paulus: (qui eſt auctor hujus legis,) idem Javolenus ſcribit, quia veriſimile eſt, inquit, teſtatricem tantum ornamentorum univerſitati (per vocem *muliebria*) derogaſſe, quibus ſignificationem muliebrium adcommodaſſet; accedere eo, quod illa demonſtratio, *muliebria*, neque veſti, neque mundo *adplicari ſalva ratione recti ſermonis poteſt*, conf. Dion. Gothofred. *in not. ad l. 4. C. de recept. arbitr. lit. s.*

§. XLI.

Sed quid, *ſi teſtator ipſa vocabula mutet ipſisque alium ſignificatum imponat?* textus huc pertinentes ſunt in *l. 4. pr. ff. de legat. 1.* & in *l. 7. §. 2. ff. de ſupellect. legat.* In *cit. l. 4. pr.* Ulpianus recte diſtinguit inter nomina *propria* & *adpellativa.* Non nocere dicit, ſi quis in nomine pro-

prio

prio erravit, v. g. *ſi fundum Cornelianum pro Semproniano nominavit*, deberi enim nihilominus Sempronianum; ſecus autem ſe habere, ſi quis in corpore, vel nomine adpellativo erraverit, v. g. *ſi cum vellet veſtem legare, ſuppellectilem adſcripſit, dum putat, ſuppellectilis adpellatione veſtem contineri:* Pomponius ſcripſit, veſtem non deberi, *quemadmodum ſi quis putet, auri adpellatione electrum, vel aurichalcum contineri*, vel quod eſt ſtultius, *veſtis adpellatione etiam argentum contineri.* Rationem addit, quia rerum vocabula immutabilia ſunt: hominum mutabilia, ſive, vt in *cit. l. 7. §. 2. ff. de ſuppellect. leg.* intuitu nominum adpellativorum dicitur, quia non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent, v. quæ diximus ſupra §. *IX.* Scilicet nomina adpellativa ex communi uſu loquendi & tacita conventione populi alicujus rem certam deſignant, v. g. equus, & ergo, ſi illa vocabula quilibet pro lubitu mutare poſſet, v. g. ut adpellatione equi canem intelligeret, multæ deceptiones, fraudes & eluſiones exinde propullularent. At vero nomina propria ab arbitrio cujuslibet privati dependent atque hinc ex eo capite nemo læditur, licet in nomine erraverit, v. g. ſi putaverit, ſervum vocari Titium, qui Mevius audit. Nomina enim propria non habent connexionem cum re ipſa, unde quis Davi nomen habere poteſt, qui tamen Oedipus eſt, & verſa vice. Ergo etiam nomina propria mutabilia ſunt, niſi quis nomen eum in finem mutet, ut alterum hos fa-

§. XLII.

Id quoque certum eſt, ſi quis ita male ſcribat, aut ita barbare loquatur, ut neque ſcriptura legi, neque ex verbis ſenſus loquentis ulla ratione erui poſſit, quod tunc ipſa diſpoſitio vitietur. Non eſſe enim & non adparere paria ſunt. Per jocum quidem dici ſolet: *nos docti male ſcribimus;* ſed hoc non producit effectum in jure, verum ex diverſo dicitur: *qui non vult intelligi, debet negligi.* Poſſet hic certa ratione adplicari, quod habetur in *l. 27. ff. de reb. dub. ſi quis de pluribus unum manumitti voluerit, nec adpareat, de quo manumittendo teſtator ſenſit: nulli eorum fideicommiſſaria competit libertas.*

T A N T U M.

CLARISSIMO DN. LEYSSNERO

S. P. D.

JAC. FRID. LUDOVICI.

Aliquot anni jamdum ſunt elapſi, ubi in illuſtri noſtra Fridericiana in numerum ſtudioſorum receptus es & primum gradum ad ſtudium jurisprudentiæ feciſti. Alterum deinde Lipſiæ, & tertium gradum iterum in Fridericiana academia feciſti. Abſolutis collegiis lectoriis gradum feciſti ad examinatoria & præcipue mihi præterito ſemeſtri æſtivo eruditionem & diligentiam Tuam abunde probaſti. Jam gradum facis ad ſpecimen & examen publicum, unde non poſſum

possum non, quin ad Te hac occasione adplicem verba Ciceronis: quotiescunque gradum facis, toties Tibi tuarum virtutum venit in mentem. De Grammatica mala disputas & de bona sollicitus es, quia malam improbas, ergo novum gradum facis. De grammatica grammatice considerata recte dicit Quintilianus: minus esse ferendos eos, qui hanc artem ut tenuem ac jejunam cavillantur, nisi enim illa oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid superstruxeris, corruere: necessariam esse pueris, jucundam senibus, dulcem secretorum comitem. Ergo nec illi sunt ferendi, qui hanc artem juridice consideratam forte ut tenuem ac jejunam cavillantur. Ego, clarissime DN. LEYSSNERE, Tibi de gradibus hactenus feliciter factis & de præsenti specimine ex animo gratulor, simulque exopto, ut brevi tempore ad altiora progrediaris & graduum Tuorum uberrimos fructus colligas. Vale. Dabam d. XXIV. Octobr. MDCCXX.

ARtibus ingenuis semper, LEYSSNERE, vacasti,
Et volupe studiis invigilasse fuit;
GRAMMATICAM inde MALAM Tua dissertatio tractat,
Ac Instrumentum quid vitiare queat.
Gratulor ergo TIBI! Numen Tua facta secundet!
Atque Tuos tangant nulla pericla Lares!

Nobilissimo atque Doctissimo LEYSSNERO,
Dissertationis Auctori politissimo paucis hi-

Dis ist ein holder Tag, er ist nicht ohne Freuden,
Indem mein werther Freund heut aufs Cathe-
der steigt.
Er darff vom Momo nicht deswegen Tadel leyden;
Weil sein Zweck selbsten ist, daß Er die Fehler zeigt.
Drum gratulir' ich Ihm zu diesem Unterfangen;
Sind gleich die Worte schlecht, und schlecht dis mein
Gedicht:
So wird Er doch gewiß nicht schlechten Ruhm erlangen.
Und das sagt noch zuletzt ein Freund, der heuchelt nicht.

CARL FRIEDERICH von SCHEELEN,
gente Rügdanus.

IMpune nemo Prisciano vellicat
Barbam verendam. Vindicant injuriam
Non Orbilii tantum feroces asseclæ
Sed & politi Themidos almæ filii.
Hos inter arma stringis atque classico
LEYSSNERE pugnæ signa das DOCTISSIME
Victoriam vis pollicetur ingeni
Felicis, edepol! acuti, fervidi.
Ergo futuri certior solemniter
Jo, triumphe! Jo triumphe! præcino.

Sic Prænobilissimo DN. LEYSSNERO,
eruditionis specimen edituro applaudit

P. L. HUTH, LL. C.

